

SIGISMUNDI  
TERTII  
ELECTI POLONIAE ET  
DES. SVECIÆ REGIS, MAGNI DV-  
CIS LITHVANIAE, RVSSIÆ, PRVS-  
SIÆ, MASOVIÆ, ET CAETERA-  
RVM DITIONVM PRIN-  
CIPIS,  
CRACOVIAM INGRESSVS.



CRACOVIAE,  
*In officina Iacobi Siebeneycher,*  
*Anno Dñi, 1587. V.*

1593. ad.

E VIII 84

por. P. Kör. 693, olef.

CRYCOVIAE

1593. ad.

Aug 25 1593

SIGISMVNDI III. ELE-  
CTI POLONIAE ET DES. SVECIAE  
Regis, Magni Ducis Lithuaniae, Russiae, Prus-  
siae, Masouiae, & ceterarum ditionum  
principis,

Cracouiam ingressus.

**E**A summorum principum fortuna est, ut quemadmodum ipsa celso, atq; illustri loco collocata est: ita nihil in rebus quoq; ipsorum humile atq; obscurum esse possit. Non modo autem, quæ ab ipsis insigni cum laude atq; gloria fiunt, partim fama, partim literæ omnibus tradere solent: verùm quæ à populis etiam apparatiore aliqua cum pompa in honorem eorum constituta, apud sapientes sçpè doctrinæ aliquius, apud vulgus etiam ominis locum habent. In SIGISMVND O III. Rege ea indoles, ijq; ad summas quasq; virtutes impetus sunt, vt nihil nisi ampli atq; gloriosum expectari ab eo possit. aditum autem ad regnum, atq; adeò res gerendas ipsis, Cracouensis maximè ingressus, in eoq; vniuersi populi lætitia atq; gratulatio illustrauit. Ingressus urbem eam est v. Idus Decemb: cumque Veliciæ opido salinario,

A ñ

vnum

vnum ab vrbe milliare dissito, pernoctasset, quod ratio itineris ipsius postulabat, ad Casimiriam: quod opidum flumine vistula, & magistratibus suis à Cracouia disiunctum, cùm loci propinquitate, tūm alijs omnibus rebus cōiunctum cum ea est: primūm acces- sit. Iusto ante opidum interuallo, qui è senatu regni atq; nobilitate Cracoviæ erant, vniuersi ferè illi oc- currerunt; eorumq; nomine omnium Laurentius Goslicius Episcopus Camenecensis disertissima ora- tione Polonicè instituta Regem exceptit: respondit Rex & ipse Polonica oratione cùm expedita, tūm grauitatis atque humanitatis plena. Ab eo loco con- scensis rursum equis, rectā ad opidum perrectum est. in aditu vistulæ arcus frondibus & aulæis ornatus, in- frascripto cum epigrammate positus fuit.

## V I S T V L A.

*Ille ego Sarmatiæ fluuiorum vistula princeps,  
Regem vnum venerans te Sigimunde meum,  
Inuiolata alijs: quantumuis tempore longo  
Tentata: en subito cornua subdo tibi.*

Eadem autem ratione, quemadmodum vistula ad- uentantem Regem excipere videretur, ita aliud sub ipsa tamen arce, qua ex vrbe in arcem Rex ascende- ret, quo quasi Rudaua quoque, qui vniuersam Cra- couiam fluuius ambit, aduentum ei gratularetur, hoc epigramma propositum fuerat. RVDA-

# R V D A W A.

*Ipse etiam, quamvis humilis Rudauia riuus,  
Me latum aduentu Rex fero magne tuo.  
Hospite te latus: sed funere nuper acerbo  
Multorum & misitus sanguine tristis eo:  
Qui melius Christi pro relligione tulissent  
Sacra vel in Solymos, iusta vel arma Scythas.*

Verum, ut eò, vnde digressa est, oratio reuertatur, cum per eum, de quo suprà commemoratum est, arcum, atque opidum Casimiriam, quodq; inter id & Cracouiam arcis subiectum est suburbium Stradomiam traductus ad portam vrbis, quæ proximè ad arcam dicit, peruenisset, ad dextram per fossas vrbis deflexit; partim vt militi, qui omnis per acies in campo instructus eum expectabat, spectandum salutandumq; se preberet; partim vt per frequentissimas vrbis regiones ingressus, seu potius urbem totā emensus, & ipse se vrbis amplissimæ spectaculo, & urbem vniuersam desideratissimo sui aspectu expleret. Itaq; ambitu capto in campum primò, in quo diuer-  
sas acies militum explicatas eum expectasse, ostensum est, profectus fuit. Eodem autenī ferè loco ab Academia etiam atque urbano magistratu Cracouiensi, qui cum aliquo numero equitum è ciuibus lecto prodierat, exceptus fuit; cùm Casimiriensis magistratus prærogatiua quadam vetere iam antè eum excepisset.

A ij

Inde

Inde igitur per subiectum vrbi campum mediasq; acies militum : Ioanne Zamoſcio, vt qui cum imperio militari eſſer, ſingulas turmas, & cohortes, ordinumq; ductores illi commēdante : inuectus ad Clepardiani, quod aliud ante Cracouiam opidum eſt, peruenit. In ingressu congeries armorum ex ijs, qui nuper irruptione tentata reiecti fuerant, in modum trophæi cum hoc titulo ſtruēta fuit :

SIGISMVND O I I. ELECTO POLONIAE ET DES.  
SVECIAE REGI, QVOD EIVS AVSPICIIS MAXIMI-  
LIANI ARCHIDVCIS AVSTRIAEC MILES AD OP-  
PVGNANDAM VRBEM MISSVS, VICTVS, MAGNA-  
QVE CVM CAEDE TORMENTIS QVE ADEMPTIS  
REPULSVS SIT, DVX ET MILITES QVI PRO DI-  
GNITATE REGIA AC LIBERTATE PATRIAE EX-  
CVBARVNT, VT DE CHRISTIANIS PARTIM ETI-  
AM CIVIBVS MOESTI: VT VERO NECESSITATE AC  
VI SIBI ILLATA, EA SVPERATA, DEO VICTO-  
RIAEC AVTHORI GRATIAS AGENTES. P. P.

A latere maiora tormenta octo, minorumq; curruſ duo, vexilla totidem ab ijsdem capta, exposita erant. Portam ingressumque ipsum, arcus frondibus tapetibusq; & pictura ornatus complectebatur, inq; ſummo arcu effigies Stephani Regis posita, qui quaſi ſuccellori de regno cederet, hæc epigrammata ſubscripta habebat:

Stepha-

# STEPHANVS REX.

Proximus en regni Stephanus poffessor, & idem  
Affinis, forti dat tibi ſceptra manu.  
Sit virtute parens, qui non eſt ſanguine : ſic te  
Victorem pennā perpete fama feret.

## ALIVD.

Affine in Stephano, cui nunc ſuccedis, adempto  
Virtutes varias, quas imiteris, habes.  
Non illo pietate prior, non pace nec armis,  
Non alijs maior dotibus alter erat.  
Dedecus is noſtra à patria deforme remouit,  
Illi restituit dum Polocense ſolum.  
Inſuper adiecit multas huic strenuus arces,  
Moſchorum domito per fera bella Duce.  
Quod ſi vera licet tanto de rege fateri,  
Non babuit toto, viuus in orbe parem.



Per

Per Clepardiam rectâ inde ipsam urbem inuestitus fuit; per quam ingredientem ordine aliquot arcus ornatissimè instructi, Iagelloniorumque, vt maiorum ipsius, imagines præferentes, eum exceperunt. Effigies enim eorum cum plærisq; ferè vetustate ignotæ essent, Ioannes Zamoscius Cancellarius exercit: q; regni præfectus ex antiquissimis quibusq; monumentis, partim etiam abditis locis eruerat. Proximè ante arcus eos hoc epigramma constitutum fuerat; quo quasi de sequentibus maiorum suorum imaginibus Rex admoneretur:

*Quos deinceps cernes positos ex ordine Reges,  
Clara Iagellonicae sceptra tulere domus.*

*Omnes hi sero gratiantur regna nepoti,*

*Exemploq; volunt te eruditissime sui.*

*I fælix: imitare tuos: imitando tuorum,  
Cunctorum rinces inclyta facta, tuis.*

Effigies ipsæ, seu arcus in quibus expositæ eæ erant, hoc ordine collocati erant, vt à Sigismundo Augusto initio facto, nouissimos quosq; Reges priores ostenderent: in Iagellone, qui arcus iam ad ipsum arcis introitum pertinebat, desinerent. Verum quod & dignæ memoria sint, & antiquitatis studiosis non iniucundum id futurum putemus, ipsas effigies ad viuum, quantum fieri potuit, expressas cum epigrammatibus suis subiicere visum fuit.

B

Sigis-

SIGISMVNDS AVGV,  
STVS.

*Arma crepent alij: dum me clementia, quod iam  
Nomine eram, Augustum re quoqp pr&sliterit.  
Hac & complures regnauit tutus in annos:  
Venit & in leges Liuonis ora meas.*



B ij

# SIGISMVNDVS PRI- MVS.

M̄ grauitas, rerumq; simul prudentia iuncta,  
Patris apud Reges, nomen habere dedit.  
Sed tamen intactæ colui sic Palladis artes,  
Non quisquā ut maior me quoq; Marte foret.  
Quæ prius assiduis nutabat Prussia bellis,  
A me perpetuo fædere iuncta fuit.  
Cundi hostes autem, Moscus, Dacus, Scytha, Turca  
Senserunt enses: & timuere meos.

## ALIVD.

Sigmundus vita factis venerandus & aeuo  
Multa exempla tibi suppeditabit auius.  
Cui matura graui prudentia mente sedebat,  
Et pietas cordi relligioq; fuit.  
Aurea Sauromatis isto sub Rege fuerunt  
Sæcula: adhuc prisca nempe vigente fide.  
Non bello quam pace minor: persæpe fugabat  
Exili felix agmina densa manu.  
Prostrabat Moscum, Prussos, Valachosq; Scythasq;.  
Terrori & Turcis non semel ille fuit.



ALEXANDER REX,  
Sigismundi frater.

Cum iam fata meæ finirent tempora vitæ,  
Tartarus ingenti strage mihi occubuit.  
Sed tamen haud tantum mihi vel vicitribus armis  
Arrogo, vel sceptri regij honore sacro:  
Quam quod seruauit semper consulta senatus,  
Atq; modum dandi publica constitut.



IOANNES ALBERTVS

Rex, Sigismundi frater.

*Si mea par cæptis magnis fortuna fuisset,  
Non facilé quisquam clarior orbe foret.  
Inuida verùm animos ludens fortuna viriles  
Fallere me potuit: frangere non potuit:  
Pannonicisq; licet, Dacisq; repulsus ab oris:  
Cæsa tamen vidi revertere terga Scytham.*



C

# CASIMIRVS PRO AVVS.

Coniurata iugum postque excusisset herile,  
Quæsissetque meam, Prussia sensit opem:  
M<sup>e</sup> qui sua ridit pro libertate cruento  
Versantem in bello, bis duo lustra fere.  
Aurea Prussiacæ dum singent succina nymphæ,  
Virtutis riuet fama decusque mæ.



WLADISLAVS REX,  
Casimiri frater.

Me iuuenem rapiens fulgenti gloria curru,  
Regia Pannoniae sceptra gerenda dedit:  
Atq[ue] eadem Turcas audax immisit in hostes,  
Mixtum fortis prælia dura manu.  
Hinc mihi crudelis rapuit cum Varnia vitam,  
Victurum haud potuit, tollere morte decus.

A L I V D.

Hic geminas meruit Regnorum ferre coronas,  
Attollens fama iam super astra caput.  
Sæpius audaces Saracenica semina Turcos  
Fudit: & ad pacis compulit ire preces.  
Sed dum nulla modum victoria querit in hoste,  
Pro sancta pugnans relligione, cadit.



WLADISLAVS IAGIELLO  
Abauus.

Me pietas, ex religio, per me insita primum  
Lithuanis, celebrem tempus in omne ferent.  
Sed tamen atroci quantum quoq; Marte valorem,  
Prussia Teutonico milite strata docet.



**E**x itinere primū ad D. Floriani in Clepardia, de-  
inde ad D. Mariæ in ipsa vrbe descendit ; laudibusq;  
quæ ex more Deo redderētur, interfuit. Ad D. Flo-  
riani Cardinalis Battoreus Stephani Regis fratris fili-  
us eum exceptit. In arce ante omnia etiam ad D. Sta-  
nislai ædem, quæ & illius reliquiis, & fundatione se-  
pulchrisq; Regum omnium celeberrima est, cum de-  
scendisset, vniuersi capituli nomine ab Erasmo Dem-  
binio Decano salutatus, institutas Deo laudes vnā  
cum aliis reddidit. Cūm autem in noctem vsq; pro-  
pter agminis magnitudinem ingressus protractus es-  
set, tanta tamen copia luminum vbique exposita fuit,  
vt nulla dies ea nocte illustrior esse posse videretur :  
multò autem illustriorem, atque celebriorem publi-  
ca omnium gratulatio, ominaq; quibus euntem  
Regem vniuersi prosequebantur, e-  
am redderent.

